Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2919

Quelle:
Copyright:

recht de crappblet. Gotescalch Zulle. Reinbal de nuenhalen. Ruodolf de tiuensperch. Perenbar Plasar. Vriderich de alsdorf. Hartewich de mulpach. Gotescalch de arbendorf. Hartelieb de osterwiz et frater Perenbart. Gotefrid de tiwensperch. Dietemar de osterwiz. Lunich de otmagnah et filius suus Pero et rapot. Werenher de tulsnich. Hadolt de Zemrasdorf. Reinbolt de wolwiz. Wezel de parenz. Warmuot de cherein. Eppo deutonicus. Adelgoz de sorich. Wodelrich de bodebov. Ruodeger de nuzperch. Time ministerialis de salzpurch. Wodalrich de lungov. Adalger de sorich. Chuonrat de sorich. Reinprebt de bache. Eppo cliens domini biltebrandi de pols. Dum *Hemma Wilhelmi* Landgravii Vidua an. 1042. Parthenonem *Gurcensem* in *Carinthia* conderet, Virginibus ad sacra ministeria additi sunt *Clerici viginti*; atque hos in praemissa *Traditione* intelligi putem. Successu temporis deletis Monialibus, dum an. 1071. Episcopatus fundaretur, ex his Clericis facti Canonici. Vide *Hansizii Germ. Sacr.* T. II. p. 175. Traditio itaque inter annos 1042 — 1071. facta videtur. Extat etiamnum duplex quidem *S. Aegidii Fanum* in vicinia *Gurcensi*, quemadmodum et plura e Locis supra nominatis hodie visuntur.

DCCCVII.

511 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 203. 4. eleganter scriptus, minio decorus, et foliis illis, quae Capitum Indices exhibent, picturatis continet: I. *Iudicium aquę frigidę* his praemissis: *Cum uis hominem in aquam mittere. ad conprobationem ista debes facere. Accipe illos homines. quos in uoluntate habes mittere in aquam. et duc eos in eclesiam. et coram omnibus cantet presbiter missam. Cum autem ad communicationem uenerint. antequam communicent interroget eos sacerdos et* (ac) *curatione ista dicat.* Edidit *Ordinem* ejusmodi *Bern. Pezius* T. II. *Anecd.* P. 2. p. 643. e Ms. *Wessofont.* Missam vero e Cod. *Rhenaug.* produxit etiam Cels. *Gerbertus* P. II. *Vet. Liturg. Alem.* p. 555. Cum utroque igitur *Codicem* nostrum comparabo. Adjurationem primam cum rubricis et Communione habet *Pezius*, Missam vero non repetit, quia illa jam in *Ordine ad Caldarium et Ferrum* praecessit. Nobis ea inscripta est: *Hęc est celebracio missę ad iudicium seu aquę siue ferri*, et consentit cum *Cod. Peziano* et *Gerbert.* Orationem tamen secundam *ad Complend.* quae infit: *Ostende nobis misericordiam tuam* &c. *Pezianus* ignorat. Missam excipit *Benedictio Aquae*, ad quam de *Psalmis*, quos praescribit *Pezianus*, tacetur; contra vero in *Litaniis* Noster jubet addi ter: *Pro huius negocii qualitate te rogamus, audi nos. Vt iusticię non dominetur iniquitas. sed subdatur falsitas ueritati. te rog. audi nos. Exorcismus Aquae* utrobique idem. Eum tamen in Nostro

Ora-